

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 9. Piscis mirificè figuratus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](#)

que partim in nodum collectæ , partim soluta  
pendebant, totaq; corporis apparentis constitua-  
tio indicabant. Femina erat pulchritudine exi-  
mia : capilli nigri admodum ; facies candidis-  
sima ; nasus bellè formatus ; digitæ elegantes ;  
labia rosea. Sororiabant ubera, & papillaæ à  
recenti pubertate aliquantum prospicere , ac  
se se exertare videbantur. Locos autem aqua  
tegens ab aspectu remouebat , mysteria cubilis  
ab intuentium luminibus , tamquam arcanis  
nondum initiatorum abscondens. Prefectus  
igitur , & circumfusa cohors , usque ad occa-  
sum solem , spectando voluptatem capiebant.  
Imminente iam nocte visa illa in ima aquarū,  
unde extiterant , descendunt , cum se cupide lu-  
strantibus vocem quodammodo eripuissent ; ita  
altum omnes admirabundi filebant. Hæc  
Theophylactus Simocatta , Iacobo nostro  
Pontano interprete: qui & mox subiungit:  
*De animalibus Nili, humanam figuram refe-  
rentibus, veteres conscripserunt.* Siue autem  
dæmones aquatici, siue homines Nilotici ,  
siue alia quædam animalia hæc fuerant ,  
pro monstribus certè aquarum habebantur.

## §. IX.

*Piscis mirificè figuratus.*

Et fuerint phantasmatata ista , veris ta-

C

men

men monstris alijs pluribus abundat aqua,  
&, siue magnitudinem , siue figuram , siue  
raritatem spectes, maximè admirandis. Ut  
enim taceam illa antiquiora , Bizarrus re-  
**Bizarr.**  
**Pag. 303.** fert , in vrbe Ceuta Idibus Maij Anno  
Christi 1563. electum & ad littus inuen-  
tum esse non solùm mole conspicuum ce-  
tum , sed etiam, ad morem Brasilarum pi-  
ctissimè variegatum, non hominis penicil-  
lo , sed naturæ artificio. Cernebantur in-  
eius lateribus plurimæ triremes velut co-  
loribus scitissimè expressæ, cum suis remis,  
arboribus, antennis, velis, funibus , nau-  
tis , bellicis tormentis , inter fluctuantes  
vndas velut impulsæ. Nonnullæ harum  
nauium , haud exigua magnitudine, circa  
ingentem quamdam triremen stabant, vn-  
dequaque ad certamen, quām optimè in-  
structæ atque armatæ. Quædam aliæ re-  
liquas tamquam harpagonibus iniectis,  
iam adoriebantur, & prælij acerrimi ima-  
ginem luculentam referebant. Quæ omnia  
naturali quodam miroq; artificio , in pelle  
& carne piscis expressa , cum eo adoleuisse  
videbantur, itaque clarè & distinctè, vt  
tamquam spectaculum numquam antè vi-  
sum , aut auditum , incredibilem omni-  
bus

bus vndique accurrentibus stuporem gignerent. Misit huius prodigijs exemplar ad Hispaniæ regem Licentius Voleranus, vrbis Gibelterræ præfектus, per Ioannem Fructuosum scribam regium, eiusdem vrbis ciuem, qui testimonio sex grauium virorum, id verissimum esse dictitauit. Dubitare h̄c igitur, non de facto licet, sed de modo. Potuit, cūm partum hunc in utero ferret, genitrix eius, aspecta in mari compugnantium classe, exterrita, imaginatione quadam, figuræ oculis haustas, fœtui imprimere. Potuit Deus, quod futurum videbat, in pīscem, velut in tabeliam, inscriptum præmonere. Potuit vtrumque simul esse, vt & Numinis bonditas, & naturæ efficacitas simul hominibus innotesceret. Si enim ars illa naturalis fuit, fuit vtique etiam natura ipsa valde artificiosa, cuius tam miro opere aspecto, dici potuit: *Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis, Domino.*

Dan. 3:79

§. X.

*Alius pīscis armis bellicis prodigiosus.*

Anno salutis 1623. die Septembri octavo, seu in festo Beatissimæ Mariæ Virginis natæ, in Polonia, prope Warsauiam, in

C 2

Vistula